

PLINE LE JEUNE, *Lettres*, V, 16 (extrait) : « Une charmante enfant »

C. Plinius Aefulano Marcellino suo s.

Tristissimus haec tibi scribo Fundani nostri filia minore defuncta. Qua puella nihil umquam festivius, amabilius nec modo longiore vita, sed prope immortalitate dignius vidi. Nondum annos tredecim impleverat, et jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat et tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia. Ut illa patris cervicibus inhaerebat ! Ut nos amicos paternos et amanter et modeste complectebatur ! Ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores pro suo quemque officio diligebat ! Quam studiose, quam intellegenter lectitabat ! Ut parce custoditeque ludebat !

Extrait du manuel de latin Hatier 1^{ère} Hachette Éducation, 2002 (p. 12)
Texte établi et traduit par A.-M. Guillemin, Paris, Les Belles Lettres, 1989